Pocz 1592.

Wilczek Danielis: Euchapodosis serenissimi Sigismundi III.

EVCHAPODOSIS,

SERENISSIMI

SIGISMVNDI III.

REGIS POLONIÆ, SVECIÆ,

GOTTHORVM, VAND. &c. &c.

Ipsis ferijs

DIVI SIGISMVNDI REGIS BVR-
gundiæ Martyris ad reliquias eiusdem

PŁOCII,

A

Magistro DANIELE WILCZEK, *Art: & Philosophiæ Doctore, Scholæ Cathedr: Płocen. Rectore conscripta.*

Anno salutis, M. DC. XIIX.


Dauid Rex Pöeta Dei. *Psal:* CXV.

נדרי ליהוה אשלם נגדת נא לכל עמו.

Τὰς εὐχάς μȣ τῷ κυριῳ ἀποδώσω, ἐναντίον παντὸς τοῦ λαȣ αὐτȣ.

Vota mea Domino reddam; coram omni populo eius,

CRACOVIAE,
In Officina Typogr: Matthiæ Andreouien.



Stat pansis ales pennis, portatq; maniplûm,
Quam circumuallant Symbola pulchra virûm.
His Regni virtus clarescit in orbe Polono.
Hæc fugiunt hostes, hæc sua Regna beant.

DEDICATORIVM.

SAcra cano, REGIQVE dico, qui frænat habenis
Regnum Sarmatiæ: quis neget esse pium?
Vota Deo faciunt Reges: quia corde caduco
Mortales homines, quilibet esse uidet.
Vota uouent Diuis quoq; nastum namq; per æquor
Ad portum niuei transiluêre poli.
Scilicet est uirtus, ex corde uocasse Tonantem,
Vel Diuos, si hominis non datur auxilium.
SIGISMVNDE dicas Diuino uota Patrono,
Quæ Diui fuerant, nunc tua uota putes.
Accepit Diuus tua: tu quoq; nostra capesse.
Si Deus acceptat: cur homo non capiat?
Accipe dum supplex rogo, meque agnosce clientem:
Subdita Magnanimi est corda iuuare uiri.

DIVUS SIGISMUNDUS BURGUNDIÆ REX, MARTYR PURPURATUS.

AD SERENISSIMUM SIGISMUNDUM III. REGEM POLONIÆ & SVECIÆ, &c. &c.

Sigismunde potens, soli Poloni
Qui sceptrum geris, & caput coronâ
Vinctus, Sauromatas regis fideles
Bellonæ studiis viros valentes,
Qui vivunt Boreæ trucis prope Arcton.
Te fluctus varius movet fugaci
In vitâ, immeritumque sæpe vexat,
Nunc morbis, animisque nunc malignis,
Quos Regnum patitur nitensque virtus.
Sic summus Pater excolit, probatque
Mentes: aurifaber velut metallum.

Nil est

Nil est quod stabili feratur orbe
In terrâ: tamen has Deus benignus
Impulsus precibus fugat procellas.
Te credas etiam iuuabit idem,
Nos pro te Dominum poli rogamus.
Quæuis terra suos habet Patronos,
Et quiuis homo, qui Deum veretur;
In cælis ita mens Dei ordinauit.
Tu pergas modò semitam virentis
Virtutis terere, ut soles, beatus:
Nec cessa studijs fauere pulchris,
Quæ florens ACADEMIÆ vetustæ
CRACI fert Domus, hanc tui Parentes
Struxerunt, retine fauore Musas,
Maiores imitare REX benignos.
Sunt, sunt, huic Domui in polo nitenti,
Quorum subsidiis uiget, PATRONI.
In terrâ quoque sis Patronus ô REX.

REX cunctis Pater es se debet æquus.
Me Burgundia Rege clara, quondam.
Florebat; modò sed Polona Tellus
Post mortem fouet ossa gratiore
Vultu, quæ duplici Deus coronâ
Ornauit, bonitas bona absq; fine.
SIGISMVNDE potens idem mereris;
Virtus, artis honorq; dant coronas.

AD DIVOS.

PLociadûm Diui, quos iam fouet altus Olympus,
Lætitiam sanctis promite pectoribus.
Vos spectatis enim Regem, Dominumq; supremum
In cælis ex quo gaudia cuncta fluunt.
Vos quoq; spectatis SISMVNDI pectora Regis,
Henrici Fierley Præsulis atq; pij.
Vndiq; circumstat lux, ambit & ossa beata;
Carpite lætitiam, quod pia fata sinunt.
Sarmatiæ Magno Regi, claroq; salutem
Henrico Fierley dicite; Præsul enim est.
Præsul adest nouus Henricus cognomine Fierley
Hinc stirps, hinc virtus Præsulis hercle micat.
Gaudentes ergo ambobus iam dicite DIVI:
O vtinam fatis viuat vterq; bonis.

EVCHA-

EVCHAPODOSIS.

SI tibi Phœbe pio cordi, curæq; benignæ,
Płociades Musæ, noſtriq; fuêre labores:
Si te quando habuit vates, reperitq; fauentem
Auſpicio, per ſacratas ſorteſque, modoſque,
Auxiliare, tuum numen dum quæreret auſis:
En agè, quod REGEM fatum, quæ cauſa ſubegit,
Płociacas tentare vias; vrbemque, & in altum
Erectas arces, operoſaq; viſere templa,
Eloquar, ac repetam primarum exordia rerum:
Nunc quoq; Phœbe fauens adſis, cæptoq; labori,
Ex Helicone ſacro citharamque, fideſq; canoras,
Et blandū plectrum, & præſtantes ſuggere vires.
Fortunam & caſum patulo dominarier orbi,
Humanaſq; rotare vices ab origine mundi,
Antiqui docuêre Sophi, ipſeq; temporis vſus,
Quin & idem rerum mutatio ſæpè fatetur.
Nā quod amica animos nūc ſors mulcetq;, fouetq;,
Nunc alia ex alijs præcordia cura fatigat:
Quod quis nunc ſanus, vegetoſq; vigore lacertos
Iactat, & exemplo ceu fulminis igne petitus
Cōcidit, ac ſpumas agit, ingemit, aut tremit artus,

Alter-

Alternatq́; potens robur, torquetur, anhelat:
Quis neget hæc fieri caſu? dubitétue ſiniſtros
Euentus rerum, ac diſcrimina ſorte venire?
Non ſic alternos furit æquore voluere fluctus
Scylla ferox, rapidiſq́; Notis agitata Charybdis:
Non ſic Sithoniâ Boreas violentus ab Arcto
Quaſſatas pinos nunc hinc, nunc flatibus illinc
Verſat, dum latè tremulos torquente procellâ
Sollicitat lucos, agitátue licentiùs auras:
Humanam veluti vitam Fortuna, per orbem,
Mobilis alternat variò diſcrimine rerum.
Heu miſeras hominum ſortes, fatiſq́; ſubactas.
Tantiſne in tenebris vitæ, tantiſq́; perìclis
Degitur hoc æui ſpatium? vſq; adeóne tumeſcent
Fortunæ tempeſtates, caſusq́; procellæ
Tam diros iactare Notos? Nec ſortis iniquæ
Pertranſire vadum dabitur, fauſtiſq́; ſubire
Portubus, ac ſine triſtitiâ traducere vitam?
Scilicet illa ſuo finem eſt poſitura furori;
Et Reges, & Magnanimos virtute Dynaſtas
Illa ſibi parére iubet. Quis talia fando
Temperet à lachrymis, triſti dum mente reuoluit,
Fletiferam morbi ſortem, caſumq́; doloris,

Quo

Quo iactatus erat bellóq; togáq; potens REX,
Dum fatis nuper languori incumberet acri?
Cernere tunc fuerat teſtantia corda dolorem,
Sollicitos animos, atq; anxia pectora curis:
Tunc omnem Procerum cætū, Patrumq; coronā,
Atq; potens Regnum infirmo cum REGE dolere;
Nec retinere oculis lacrymas, nec cordibus imis
Comprimere ingentem viſæ matreſque, viriſque,
Triſtitiam: it latè gemitus, fletuſque per omnem
Sarmatiam, mæſtoq; remugit regia luctu.
Eſt AQVILA exuperās cygnos candore niuali,
Partibus Eois nota, Heſperioque cubili;
Iuppiter Idæus (ſi vera eſt fama) dediſſe
Fertur eam Lecho, dum per deſerta ferarum
Luſtra, vrbesq;, genusq; ſuum, ſedesq; locaſſet:
Hanc propriæ Lechus genti iam morte ſub ægrá
Tradiderat: ſic Lechia ſe Iouis alite iactat,
Sic AQVILAM Regni claro pro ſtemmate ſeruat:
Hæc vbi languentem REGEM, turbataq; ſenſit
Pectora Sauromatûm, & paſſim regalia circum
Tecta volare graues curas, luctusq; gementes,
Stemma diu ſuffere ſenex aſſueta maniplûm
Nequicquam pennis, humerisq; imbellibus æuo

Circumdat, Regisq; ima ad penetralia fertur.
Ædibus in mediis, interq; palatia tecti
Ingens mensa fuit, rutilis distincta pyropis,
Insidens mensæ, atq; alis complexa maniplûm:
Ad mæstas, inquit, voces hæc alta reuiso
Limina. Quæ mala sors populos, & tristia Regna
Impulit affligi curis! Eheu æstuat ingens,
Ingens corde dolor, turbantur pectora luctu,
Et gemitu concussi animi, viresq; solutæ:
Atq; hîc lugubri Regem ter voce vocauit:
Quem dum languenti tacitum iacuisse cubili
Conspexit, subitò stetit acri fixa dolore,
Multa gemens, largisq; humectans pectora guttis:
Ter conata grauem dictis lenire dolorem,
Ter tristes oculos lacrymis suffusa rigauit,
Singultuq; pias pressit rumpente loquelas.
Tristibus intereà miscetur Regia curis.
Quis fando illorum curas, gemitusq; dierum
Explicet? aut possit numeris æquare dolorem,
Quem Regina dolens Regis languore trahebat?
Stabat cum natis genitrix regalia circum
Strata, super luctu natorum, ac Regis acerbâ
Sorte gemens, multisq; irrorans imbribus ora.

Non

Non ſecus, ac olim nubes cum rupta procellis
Læta vireta rigans humectat flumine terras.
Heu quibus illa modis Regem conata ſaluti
Reddere, & affixos cordi remouere dolores?
Iam vigilem nunc huc animum, nunc diuidit illuc,
Iam curas adhibet varias, nec mollibus vnquam
Accipit internos oculis aut pectore ſomnos.
Cùm nec ſpes opis vlla datur, nec cura ſaluti
Subuenit, & ſerpit magis, ægrotatq; medendo
Pallida vis morbi: panſis ad ſydera palmis
Numina ſancta vocat. Rex ô ſtellantis Olympi
Aſpice nos, inquit, tantosq; auerte dolores:
Tuq; SIGISMVNDE, ô ingens Patrone tuorum
Adſis DIVE tuis, conceptaq́; vota ſecunda.
Nox erat, & terras animalia feſſa per omnes
Mulcebant ſomnis obliuia grata laborum:
Hic REX languenti deuinctus lumina ſomno
Conticuit, placidamq; dedit per membra quietē.
Iámq; ferè medium nigris ſubuecta quadrigis,
Noctiuago Phæbe curru pulſabat Olympum;
Cum lux en oculis ingens effuſa repentè
Erigitur, lateq; palatia celſa ſerenat:
Collucent ſummi radijs laquearia tecti,

Collucentq; trabes, visumq; ardere cubile.
Namq; SIGISMVNDVS Diuus (mirabile visu)
Stelligero cæli delapsus ab axe, decoris
Constitit in tectis, visusq; astare iacenti
In somnis REGI, cinctus diademate frontem,
Et chlamyde auratâ, & cælestibus inclytus armis:
Tum sic affari, curasq; his demere dictis:
Iam meliùs potes afflictæ confidere vitæ
SIGISMVNDE, licet tibi iam sperare salutem.
En ego cuius opem votis, precibusq; vocasti;
Aduenio, præsensq; tuo succurro dolori:
Surge agè, & exoriente nouo Titane, sacrata
Visere templa para, conceptaq; soluere vota.
Est vrbs Mazouiæ, tumidis quam fluctibus ambit
Vistula, Lechiadæ Plocium cognomine dicunt.
Illic templa mihi, atq; altaria ritè dicata
Conspicies, referesq; PATRONO sospes honorem.
Dixit, & auertens stellatâ fronte refulsit,
Ac procul ex oculis superas euasit in oras.
Tum REX SISMVNDVS, subitis exterritus vmbris,
Corripit è somno corpus, lacrymisq; profusis
Ingemit, ac duplices tollens ad sydera palmas
Talia voce refert. O spes fidissima nostri

DIVE

DIVE SIGISMVNDE, ô ingens tutela tuorum!
Tantáne, mi PATRONE, meæ tibi cura ſalutis,
Solus vt empyreo delapſus ab æthere, noſtras
Has humiles ædes, humileſq; reuiſeris auras,
Exueriſq; ægrum morbo, vitæq; periclo?
Quêis ego te precibus, votiſq; æquare ſub aſtra,
Aut pro mortali vitâ tibi reddere grates
Dignus ero? cum te nec vox, nec vultus, & ora
Mortalem referunt, votorum vt partibus æquis
Donari poſſis? Nam numina ſancta deorum
Cui paribus celebrare modis cōceditur vnquam?
Spondeo DIVE tamen templiſq;, ariſq; ſacratis
Vota tuis, dictoq; libens parebo ſalubri.
Dixerat, & cælo flammantia lumina voluens,
Ter ſupplex dextrâ pectus percuſsit anhelum.
Nocturnum interea linquens Aurora cubile,
Purpureos terris vultus proferre parabat.
REX lucem nitidas vt primûm intrare feneſtras
Vidit, & obſcuro decedere nubila cælo:
Moliri naues, pictaſq; parare carinas
Imperat, & tonſis, remiſq; aptare lacertos.
Nec mora præceptis: certatim lecta iuuentus
Dat rapidas vires operi; pars ducere pinos,

Moliriq; rates, & curuas flectere lintres;
Pars aptare trabes tecto, & diſcernere ſigno:
Remigioq; legunt pubem, velisq; miniſtros.
Hîc malos alij ſtatuunt: hîc reſtibus altè
Carbaſa ſuſpendunt alij: intortoſq; rudentes
Contorquent, proris vndantia vincla futuris.
Qualis, apes æſtate nouâ, per florea prata
Exercet cum prole labor, dùm corticis antro
Excudunt ceras, aut cum flauentia mella
Stipant, & liquido contexunt nectare cellas;
Aut oneri ſubeunt venientûm, aut agmine multo
Degeneres fucos procul à præſepibus arcent:
Feruet opus, ſpumantq; fauis aluearia preſſis.
Iam ſtata lux aderat, nonisq; cadentibus aſtris
Solis equi aurorâm terræq;, poloq; vehebant;
Famaq; diſceſſu Regis prænuntia certo
Excierat tectis mirari in littora cætum.
Deducunt famuli naues, portuq; refigunt,
Tum loca certa legunt, vbi quisq; reſidere poſſit.
Inde vbi raucisonos cecinit tuba clara receſſus,
Haud mora, proſiliunt tectis, rapidisq; feruntur
Paſſibus ad naues nautæ: ferit aurea clamor
Sydera, remorum vario conamine ſurgens;

 Olli

Olli remigio vires, contoſque, ſudeſque,
Æratosq; vncos, & acutâ cuſpide tonſas
Expediunt, agilesq; vibrant in flumine remos.
Tertius intereà reſonare per æthera clangor
Incipit; it portis orto Titane iuuentus,
Sarmaticiq; ruunt equites, peditumq; cateruæ.
At Regem templo cunctantem ad limina primi
Expectant Proceres, oſtroq; inſignis & auro
Stat currus, vexantq; humentia fręna iugales
Tandem prouehitur magnâ ſtipante cateruâ,
Purpureā indutus chlamidē, quam limbus obibat
Coccinus, ornabant gemmata monilia collum,
Aurea pendentem ſtringebat fibula balthêum.
   Poſtquam ad Viſtuleas ripas, ac pinea texta
Ventum, Rex primus ſolio conſedit eburno,
Poſt alij Proceres. fluuio natat vncta carina.
Tum plauſu ſtrepitúq; virûm, ſtudijsq; fauentûm
Fluminea reſonant ripæ, colléſq; ſupini.
Ergo iter incæptum celerant Aquilone ſecundo,
Labitur acta auris abies: mirantur & vndæ,
Miratur longè fulgentia carbaſa littus,
Ornatosq; viros, pictásq; innare carinas.
Viſtula Sauromatûm fluuius Regnator aquarum,
Naui-

Nauibus vt REGEM per ſpumea cærula ferri
Senſit, arundineum vitreis caput extulit vndis,
Et procul: en ego qui Tyberis ſuperabar honore
Viſtula, dum ſanum capio Regem incola Regni,
Et Tyberium vincã, & fontes vada ſacra Numici.
Vos lenes, iubeo, ſtrepitanti murmure Lymphæ
Currite, & incolumem Regem ſeruate periclis.
Tantum effata; caput glauco contexit amictu
Ima petens, & ſe ſpumanti condidit aluêo.
Olli remigio flexus; fluuiosq; ſonantes,
Exuperant, virideſq; ſecant in littore ſyluas.
Iamq; iter emenſi, turres ac mænia læti
Ardua Plociadûm cernunt, muroq; propinquant.
Ante vrbem Ciues, armiſq; accincta iuuentus
Seſe monſtrat equis, domitatq; in puluere gyros:
Pars rutilis flagrant phaleris, pars ægide fuluâ,
Sarmaticisq; micant pharetris, Lyciisq; ſagittis:
Pars clypeos, peltasq; graues, galeasq; coruſcis
Subnixas criſtis, & ſpicula lucida vibrant,
Armiſoniſq; humeris geſtant ſcuta, atq; dolones:
Hîc iaculis alij certant; hîc tympana rauca
Impellunt digitis alij, lituosq;, tubasq;
Increpitãt: clãgor ſonat vndiq;, & vndiq; murmur.
Non

Non secus ingenti bello cum fortè cohortes
Extendit legio, campo volat agmen aperto,
Lunatæq́; acies; tùm latè fulgurat omnis
Ære renidenti tellus: it stridor, & altè
Buccina terrificis pulsat clangoribus auras:
Sic REGI Płocium intranti se turma ferebat
Obuia, sic armis, ac luce nitebat ahenâ.
Ast vbi iam propior portis succedit, & arci,
Vestibulum ante ipsum, primoq́; in limine sistit.
Ciuilis subitò primâ cum plebe Senatus
Summissis REGEM studijs, genibusq́; salutat:
Tradit & auratas claues, & credita iura,
Iustitiiq́; potestatem, legumq́; secures:
Panduntur portæ: iuuat ire ad pergama celsa,
Sacratosq́; videre locos, conceptaq́; corde
Vota referre Deo, ac Diuis imponere honorem.
Pandite nunc Helicona Deæ, cantusq́; mouete.
Quêis precibus votisq́; Dei pia numina adoret
Rex SIGISMVNDVS, Diuis quem reddat honorem?
Quâ pietate sacris mentem deuouerit aris?
Et vidistis enim Diuæ, & maiore potestis
Tantarum seriem rerum diducere plectro,
Ad nos vix tantos exponere pertinet actus,

Templū augustū, ingens, centum sublime colu-
Arce nitet summâ, diuini regia cultus, (mnis,
Præclarum titulis, & relligione parentum.
Hinc olim sceptrum Ducibus Massossiæ auitum
Accipere omen erat, primosq; attollere fasces;
Hîc templorum Antistitibus de more vetusto
Sacra peracturis crines velare tyarâ
Stellimicans solet: hoc Diuorum curia templum:
Hæc sacris ædes epulis: hîc ordine longo,
Perpetuis onerant votis altaria mystæ.
Quin etiam sacræ effigies ex ordine Diuûm,
Antiquâ ex cedro, duraturaq; cupresso,
Parte Stanislaus dextrâ, lęuâq; locatus
SISMVNDVS Martyr, primâ spectantur in arâ.
Diuus deinde PETRVS Christi lectissimus olim
Discipulus, cæli seruans sub imagine clauem,
Virgoq; Diuiparens, Pauliq; docentis imago
Circumstant aras: alijq; ab origine Diui,
Pulchram qui mortem Christi pro nomine passi.
Multaq; præterea sacrâ visuntur in æde
Pignora Diuorum veterū decora ampla parētum;
Et costæ laterum, & capitum sine sanguine muta
Corpora, brachiaq;, auratis vestita metallis.

Non

Non ego te penitùs tacitum indictumúe relinquā
O Rex & Martyr celeberrime BVRGVNDORVM:
Hoc tua se templo virtus extendit in ægros,
Hìc nomenque, caputq; tuum, radiante beryllo
Chrisolitoq; micans meritos acceptat honores.
Tale introgressus templum REX: protinus omnes
Canonici, gressus figunt in limine primo
Et glomerant sese regalia corpora circum.
Tunc vnus senior: Rex ô fortissime, dixit,
Sarmaticæ gentis pulcherrima gloria Regni,
Quòd venias tandem Plocenses saluus in oras
Post varios casus, post mille pericula vitæ,
Gratamur cūcti, & meritos celebramus honores,
Gratia magna Deo, te qui de culmine cæli
Respicit, & patriam seruat te sospite nostram;
Est pietas Diuis cordi tua, puraq; mentis
Integritas, nostræq; preces super ardua fusæ
Cælorum, auxilijs his viuis in orbe, diuque
Viues, imperiumq; reges in pace Polonum.
Aurea pax cæli dimanat vertice Regnis,
Aurea paxq; pios Reges comitatur, & ornat.
Salue Lechiadûm, Rex Maxime, gloria templi:
O vitæ splendor salue, & pietatis auitę.

Viue Pater Patrię, repetas & serus Olympum.
Sed nos hora vocat. Iam fælix altiús ædem
Intra: sic fatus, requieuit, poplite flexo.
Nec mora, progreditur Rex intrò lætus, & amplā
Miratur tecti molem, miratur & aras,
Stellantesq́; trabes, picturatasq́; columnas,
Armáq;, & exuuias, & parta ex hoste trophæa,
Magnanimûm Heroū, mæstis appensa sepulchris.
Atq; sub ingenti lustrat dum singula templo,
Sacra pia opperiens, dum, quæ structura sit ædis,
Artificumq́; manus inter se, operumq́; labores,
Perpendit, cernit carie squallentia busta,
Busta Ducum, exsangues statuas, animisq́; carētes
Effigies, solerte manu quas struxerat olim
Dædaleus Phydias, tumuloq́; aptârat eburno:
Cōstitit, & lacrymans: Quis iā terris locus, inquit,
Quæ Regio sit Sauromatûm non plena laboris?
Ecce DVCES (est hæc quoq; nostrœ gloria genti,
Lechiadæ imperium sortiti hostilibus armis)
His tandem tumulis vires posuêre potentes.
Sic ait: & gelidis defigit lumina bustis
Suspirans, guttisq́; humectat lenibus ora.
Namq; sciebat, vti gens armis perfida quondam
Mazo-

Mazouiæ, fidis contraria multa Polonis
Fecerit, ac eheu, Mauorte petiuerit acri.
Dux Venceslaus validis se iungere Prussis,
A cruce qui sanctâ ducunt cognomina Fratres,
Ausus, terribili vexauit strage Polonos.
Quid Ziemouitus? post funera tristia Regis
Mazouiam auulsit, contemptis legibus æquæ
Sarmatię: tantū haud metuit cōmittere crimen.
Proh scelus audacis populiq;, Ducumq; nefādum!
Quid de Conrado loquar? heu quàm tetrica bella
Sæpe ciit superans peruersâ fraude Polonos?
Mazouię partes variæ testantur id ipsum.
Quanta fuit virtus Troideni Principis olim?
Quanta Boleslai? Maslai quanta ferocis?
Isti Sauromatûm vexârunt milite gentes,
Regibus armisonisq; negotia magna dedêre.
Hic pendent stirpis Lituanæ signa vetusta,
Silesiæ tabulæ, Prussis ac rapta trophæa.
Hic & Russorum exuuiæ, gentisq; Polonæ,
Hæc dum SISMVNDO REGI miranda videntur,
Dum stupet, obtutuq; hæret defixus in vno:
Antistes FIRLEI sanctas procedit ad aras
Vota celebraturus: eum conuestit amictu

Purpura, & intextum ſacratis veſtibus aurum;
Albaq; gemmiferos interplicat infula crines,
Hinc atq; hinc myſtę glomerãtur: at ille ſmaragdis
Sapphyriſq́; Crucem ditatam, auroq́; rigentem
Fert humero, & gradiẽs myſtas ſupereminet õnes:
Fit ſtrepitus templo, vocemq́; canora volutat
Muſica, dependent lychni laquearibus aurêis
Incenſi, & latè circùm loca luce ſerenant.
Hìc REX ante aras ſummiſſo poplite flectens
Pignora SISMVNDI DIVI ſacrata popoſcit,
Amplectens ea cælo oculos ac ora tenebat,
Et mox Lechiadûm ſalue Patrone tuorum,
Vos ſaluete ſimul fatis mihi debita templa.
Hæc ara, hòc illud templũ eſt, quod Diue monebas
Viſere, dum te in opem ſum per mea vota precatus.
His dictis ſacro capiti oſcula dulcia fixit,
Terq; manu ſupplex pectus percuſſit eburnum
Poſt vbi perfectum ſacrum, & pia vota peregit.
Egreſſus templo ſacrato, fronte ſerenâ
Dum parat auratos pedibus conſcendere currus,
Turba virûm clamat: Rex clemens, propter amorẽ
Altitoni, fer opem miſeris, quos ſæua fatigat
Pauperies, & dura fames, quæ parcere neſcit,
Quod

Quod facies nobis, Rector tibi reddet Olympi.
Vocibus his motus donatum quemq; remittit;
Regalem in miseros homines testatus amorem:
Nec dubitant miseri dignas persoluere grates,
Exoptant Regi, pulchrisq́; suis faustissima natis.
Inde petit cellsas arces, & mænia lætus
Prisca Ducum, durumq; viæ leuat inde laborem.
Post paucos soles mandat se nauibus ipsum
Et per Vistuleas felici sidere ripas,
Varsauios redit ad muros, arcemq́; reuisit.